


05

A

1679





Σὺν Θεῷ
Τῷ Α Καὶ Τῷ Ω
Θεωρεῖα

14

ÆTIOLOGIAS

GENERALIS.

Quam

In Illustri Academia

WITTEBERGENSI

Disputatione Publica,

Adjutore Redemptore

SUB PRÆSIDIO

VIRI

CLARISSIMI ac DOCTISSIMI

DN. M. BALTHASARIS STOLBERGI,

Mittvveydensis

Placide Eruditorum συζήτησει subjiçis

AUTOR & RESPONDENS

ANDREAS REICHLER /

Boziniensis Hungarus.

Reipublica Patria Alumnus

Ad diem 25. Junij, An. M. DC. LXII.

In Auditorio Minori

Horis Promeridianis.

WITTEBERGÆ,

Typis Johannis Haken, MDC LXII.

13.





VIRIS

Generosâ Nobilitate

Prudentiâ ac Virtute

Clarissimis Spectatissimisq̃

DN. JUDICI *Æquissimo*

DN. CONSULI *Gravissimo*

DN. SENIORI Senatorum venerando

nec non reliquis

Regiæ ac Liberæ CIVITATIS

quæ

BOZINGA

est

DNN. SENATORIBUS Prudentissimis

Patribus Patriæ vigilantissimis

DNN. Patronis, Promotoribus ac Nutriciis

Liberalissimis ac Munificentissimis

Disputationem hanc Academicam

in debitæ ac perpetuæ

GRATITUDINIS

Τεκμήριον

gratâmente & manu

Dedicat

AUTOR.



05 A 1679

I. N. J.
 SECTIO I. THEOREMATICA
 THEOREMA I.

Θεωρία Causarum præcisè & in actu signato
 ad Οντολογίαν pertinet.

ἐκθεσις. I.



Ngens, profectò, interq̄ve subtilissimi ingenii, sub-
 actissimiq̄ve iudicii viros, præsens *de theorias Cau-*
sarum generalis Sede Disciplinari, pertinacissimè a-
 gitata controversia est. Hinc operæ pretium nos
 facturos arbitramur, si, anteq̄vam rem ipsam ag-
 grediamur, in antecessum eam breviter capediamus.

2. Ante omnia autem de origine litigii dispiciendum est:
 Reperimus verò Philosophum tribus potissimùm distinctis in-
 locis Causarum pertractasse doctrinam scil: *lib. 2. post. analyt. c.*
11. Dehinc lib. 2. Phys. c. 3. & seq̄. Tandem *lib. 5. Metaph. c. 2.* nullibi
 verò generatim in communi seu abstractivè de Causis egisse: fa-
 ctum inde est, ut in partes Aristotelis scinderentur Interpretes, at-
 q̄ve alii quidem *in Logica*; alii *in Scientia Naturali*; alii deniq̄ve
in Οντολογία de causis egerint. Tres exinde diversæ sententiæ,
 totidem earundem Propugnatorum ordines orti fuerunt, quas
 recensēbimus.

3. Prima ergo sententia est Petri Rami & complicum, quī
 Causarum doctrinam è Physicæ & Metaphysicæ pariter terminis,
 ceu alienam & heterogeneam, eliminandam; Logicæ verò ceu
 propriam & homogēneam, inserendam non absq̄; insigni con-
 fusionē contendunt. *Vid. Ramus Schol. Metaph. lib. 5. c. 1. Conf. Tim-*
pler. lib. 3. Metaph. c. 2. Probl. 1. p. m. 211.

4. Secunda Sententia est Scholasticorum plerorumq̄; im-
 primis *Joh. Lalem. Disp. 4. Metaph. Par. 1. p. 139.* ubi audacter, *Causa-*
rum theoriam in Physica palmarium mereri, locum asserit; Hodo-
 getam hunc sequuntur complures alii, *Mendoza, Oviedo, Arria-*
ga, Fr. B. Spei Tract. 2. Phys. disp. 2, dub. 1.

5. Tertia deniq̄ve sententia, eaq̄; communi cordatorum



accuratiorumque Philosophorum approbata iudicio est; generalem scilicet *αιτιολογίας θεωρίαν* ad *Οντολογίαν* jure merito pertinere; cui sententiæ & nos calculum adjecimus in nostro theoremate.

6. Atqui, inquit quis, sic injurios & rigidiores justò nos esse, dum omnem Causarum tractationem Metaphysicæ vendicamus: Sed, bona verba, quæso, vir bone, non sumus, non omnem Causarum tractationem Metaphysicæ vendicamus, aut reliquis disciplinis adimimus, hinc seqq. observandæ distincti sunt.

7. Dist. ergo (1.) *Inter Causarum doctrinam spectatam in communi, seu abstractivè & in universali: & spectatam in applicatione concretivè ac in particulari.* Priori solùm modò eam soli & uni adscribimus Metaphysicæ & vendicamus: posteriori verò nulli disciplinarum determinatè, sed omnibus indeterminatè, atque sic etiam Logicæ ac Physicæ relinquimus. (2.) *Inter doctrinam Causarum consideratam in actu signato*, ubi natura Causæ per definitionem & divisionem repræsentatur, & sic denuò Metaphysicæ est propria: *& in actu exercito ac in distributione*, quomodo reliquis habitibus competere largimur.

8. (3) Imprimis dist. *Inter doctrinam Causarum Generalem: & Specialem.* *Specialis* agit de Causis cum limitatione ad certum entium genus h. e. agit de hujus vel illius rei causis, quæ in illa disciplina pertractatur: Et hæc pro diversitate materierum ad diversas etiam disciplinas spectat, e. g. Causas Corporis Naturalis Physicæ; Interitus Rerū. Politica, eclipsos Mathesis &c. pertractat. *Generalis* verò est, quæ de causis earumque naturis sine limitatione ad certum entium genus agit. Sed hæc iterum non est uniformis: *alia enim est Realis seu Theorica*, quæ Causæ sub formali attributorum generalissimorum Entis spectantur: *alia Notionalis seu Practica*, quæ Causæ spectantur ut termini technologici, seu notiones secundæ & species argumentorum, ex quibus propositiones, definitiones & medii Syllogismorum termini fiunt. Illam Metaphysica hanc Logica sibi vendicant. Præmissis hisce datum theorema amplificari & suppleri hunc in modum posset: *θεωρία Causarum generalis Realis seu theoretica abstracta*

abstractivè & in actu signato spectata solius Metaphysicæ tractationis est.

9. Probamus verò positionem hanc (1.) ex objecti disciplinaris natura. Q. objecto alicujus disciplinæ includitur, id cum eodem in eadem consideratur. subsumo: Atqui de Causarum Theoria verum est prius. E. & posterius.

(2.) A Causarum generalitate. Objectum universale universalem requirit disciplinam. Talis verò nulla est alia quàm Metaphysica. At de theoria Causarum verum est prius E. & posterius. Major clarè: Minor probatur: quia per omnes habitus & scientias amplissimum spirat usum & necessitatem.

(3.) Ex aliarum disciplinarum remotione. Præsuppositio enim dari generalem Causarum theoriam, quod nemo negabit facilè, necessariò pertinebit ad aliquam disciplinam: cum verò ob suam generalitatem communitatem, & transcendentalem sublimitatem in nulla inferiorum disciplinarum tractari queat, eò quòd objecta earum sint particularia, ac determinata, par eidem, h. e. generalis ac universalis assignanda disciplina est, qualis nulla præter Metaphysicam nostram est. E. ad eam pertinebit.

10. Id tamen oppidò adhuc notandum est, non agi in Metaphysica de Causis ita, ut subjecti metaphysici, quod Ens est, Cause inquirentur, quia id ipsum causas nullas habet, quod suo locò satis probatur: sed ita, quatenus sunt attributa Entis, ab Ente per modum posterioris à se priori fluentia, ipsumque extræssentialiter denominantia. Contra Suarezium.

THEOREMA II.

Causa est Principium quod importat influxum ad esse Causati

ITA cum accuratioribus nostratum Philosophorum Causam definimus, cujus pleniorum evolutionem aggredimur. Ab ovo autem ut rem ordiamur, offert se in ipso frontispicio juxta usitam methodum I. Definitum seu ὄνομα. Et hujus iterum (1.) Originatio seu ἐτυμολογία, quæ derivatur Causa à variis variè. Quibusdam à Græco Κausis desiderium quod homines naturâ scire desiderant,

A 3

rent, scire autem est rem per causas cognoscere Arist. lib. 1. Metaph. ab initio. 2. Aliis à Casu, quod omnia Casu ceu ex certis causis fieri putarent veteres. Lalemand. lib. 3. Phys. Aliis à Chaos seu וברהוהו מוֹפֵאִיִּו, quod ex eo veluti ex causa communi omnia prognata sint: Aliis à cauta, quod cautè rerum inquirendæ causæ sient, Beccmannus in de Lat. Ling. orig. libro ait: t. & esse εὐμετάβλητος litteras hincq; meliùs unò s. quã geminò scribi SS. Qui verò geminò SS. Causam scribunt derivant causam à cavilla, quasi eã præcaveamus errores: Aliis denique planè Primitivum est, qua in re nos non operosè desudabimus; Pergimus potius ad alterum quod est equivocatio seu ομώνυμον, ubi deprehendimus Causam esse vocabulum πολλήν, πολλάχως enim λέγεται; & quidem 1. Rhetoricè pro themate orationis, hinc causarum genera, rhetores habent, quæ acceptio nobis non est ad Andromachen. 2. Logicè pro medioterminò qui vocatur, αἰτιον καὶ ἀρχή demonstrans affectionem in esse subjecto. Vid. B. Dn. Scharf. Instit. Logic. Lib. 4. cap. 2. pag. 587. quæ & ipsa acceptio nobis non est ad salivam 3. Physicè pro Principio corporis Nat. constitutivo, sed & hæc acceptio huc non facit. 4. Metaphysicè pro certa Principii specie illâ nempe quæ relationem habet ad causarum; Ubi denuò se prodit varietas; sumitur enim vel (1.) Latè pro Ente absoluto quod rationem causæ suscipit. (2.) Latissimè & abusivè quomodo Patres nonnulli Deum Patrem causam Filii appellarunt Nazian. orat. 29. Damasc. de orthodoxa fide l. 1. c. 8. & 9. (4.) Strictissimè, quat. interdum solam causam efficientem interdum & finalem notat: Aristot. l. 1. Phys. atque harum acceptio nulla nostro intervitt instituto. (5.) deniq; sumitur adæquatè & propriè pro eo quod influit in esse Causati, & hæc demum significatio nobis est ad palatum; Atque hinc unâ fidelia expedienda esset distinctio homonymica quã causa alia est verè talis, alia conditio sine qua non; nisi illa jã esset quadantenus examinata; hæc verò sèct. 3. examinanda. Haftenus definitum sequitur Definitio realis, seu πραγμα, ubi ante omnia occurrit I. conceptus genericus, est què Principium, quod loco generis adhibetur & quidem commodè: quia (1.) latius patet quàm Causa: (2.) prædicatur de causa in quid, quæ sunt conditiones conceptus generici: ubi notandum,

landum, nos h.l. intelligere Principium (1.) *Causale*, à quo aliquid habet esse dependenter; non verò non-causale. (2.) *Incomplexum*, quod est terminus simplex deducens nos in cognitionem alius; non verò complexum; (3.) *essendi* quod largitur esse effectui, non cognoscendi. Not. II. *conceptus differentialis* nempe *influxus in esse causati*. Ubi denurò notanda sequentia sunt: I. *Influxum* hunc à nobis h.l. considerari, non quat. soli efficienti tribuitur, sed quat. omnibus quatuor Causis est communis, quia quælibet causa in suo genere aliquid ad esse causati confert, tum quoad internam constitutionem, ubi materia & forma causatum intrinsecè constituunt, illa quidem formam recipiendo; Hæc illam informando, tum quoad externam productionem: Efficiens quippe & finis extrinsecè influunt, ille producendo hic movendo z. Not. & hoc est, nempe, cautò hic opus esse, ne dum de influxu, ceu formalitate Causæ, quæ attributum Entis est disputamus, eum influxum sub ratione accidentis cujuscumque concipiamus, quod si fiat, jam quædam Entis affectio, inauspicatâ Metamorphosi in modum Entis contrahentem transformabitur. Probo id exemplo: Cum Philosophi de influxu isto agunt, tum plerumque intelligunt influxum determinatum & specialem causæ talis vel talis, hujus vel illius; Et sic influxus ille per modum actionis, quæ accidens & modus Entis contrahens est concipitur, ut dum exempli loco allegant generationem, quæ certè generatio, quâ scilicet: pater ut causa, influit in esse filii scilicet causati, est ille ipse influxus, quò Pater producit filium: At Generatio est actio, est accidens, & modus Entis contrahens; Ecce ergò quomodo ex formali ratione attributi Entis, modus Entis contrahens fiat, si hoc modo influxus consideretur. Quapropter Causa consideranda est *in obliquo*, seu, ut clariùs loquar, agendum h.l. est de causæ formalitate, *non in casu recto* seu de Causa ipsa determinatè, sic enim Ens verum & reale est, & non attributum Entis, sed ejus quasi species contrahens. Si ergò exempli locò allegetur h.l. substantia, tum influxus iste sub ratione substantiæ concipitur, si accidens allegetur, idem ipsum concipitur. Si ergò ἀναβολογῆν velimus, Causa erit non id formaliter quod influit in esse Causati; sed *status Entis ab hoc influxu*

fluxu denominatus. Not. (3.) *Causam materialiter spectatam* tria involvere: *Entitatem seu subjectum*, estque res ipsa quæ *Causa* dicitur. 2. *Influxum actualem seu ipsam causalitatem*, in qua ratio *Causæ formalis* consistit: 3. *Relationem ad causatum*. Sic ex.gr. Abraham ante generatum Isaacum habebat *Entitatem*, in generatione accedebat *influxus seu fundamentum*, factâ generatione accessit *relatio sive Paternitas & Filiatio*. Et hoc ipsum est quod paulò ante dixi, nempe si *causa hòc* consideretur modo, tunc ex attributo *Entis* fieri modum *contrahentem*, aut *substantiam* aut *accidens*: in obliquo ergo non in recto de *Causis* hic agendum est, seu non tam de *Causa ipsa*, quam *ejus formalitate* tractandum. Pl. qui desiderat legat *B. J. Martini Exerc. IV. Metaph. tb. 1. p. 144. Conf. Clar. Geilfusi contemplat. V. in Philosophiam Primam tb. 31. p. m. 88.* Not. porrò est. (4.) *vocab. influxus* h. l. non capi propriè & *Physicè*, sed *figuratè*, pro *communicatione essentia*. (5.) *Influxus iste in esse causati unò verbò* vocatur *causalitas*, quæ non est *absoluta causæ entitas*, neque *causandi potestas* neque *relatio Causæ ad effectum*, nullam quippe habet *activitatem*, neque est *effectus propriè*, sed est *modus transcendentalis*. *vid. Svar. disp. 12. & Spiegel. Exerc. 7. Metaph. p. 184.* (6.) Not. & id, quod scil: *influxus s. causalitas ista* vel sit *activa*, per quam res *causat*, & est *proximum fundamentum relationis causæ ad effectum*: vel *passiva* per quam res *causatur*, & est *proximum fundamentum relationis ad Causam*. *Jac. Mart. l. c.* Tandem (7.) probè observandum quòd *influxum hunc causæ in esse causati* necessariò statim sequatur *dependencia effecti à causa*, non solum *ratione necessariæ conjunctionis*; sed *cujusdam etiam imperfectionis*. Et hæc est *ratio cur in divinis Pater Filii causa dici nequeat ista etenim imperfectio dependentiæ in Filium Dei redundaret.*

THEOREMA III.

Causarum Genera numerant quatuorur: Efficiens & Finis Materia & Forma: quarum duæ posteriores Causæ internæ, priores externæ dicuntur.

ex J.

Est & divisio hæc Causæ adæquata à quæ accuratioribus Philo-
sophis recepta. Nihilominus dantur, vel qui eam superfluita-
tis, vel defectûs alicujus arguunt, juxta tritum illud: *Iliacos in-
tra muros peccatur & extra.* Plato quidem in *Timeo*, de quo *Se-
neca ex. 65*, non contentus quaternario Causarum numero, quin-
tam quam *exemplarem* vocat, addit, & peculiare à quæ reliquis
distinctum Causarum Genus constituit, & characterem ejus ait
esse id ad quod. Huic ad stipulantur ac pollicem premunt, ex
veteribus *Simplicius & Philoponus*, ex Recentioribus *Jacob. Four-
nenc Tom. 3. Philos. Synops. 6. 29.* Quamvis autem Seneca hanc sen-
tentiam dicto locò recenseat ac refutet, tantum tamen ab est, ut
nostræ subscribat sententiæ, ut in contrarium ruat errorem, solâ
Causam efficientem pro causâ agnoscendo; hincq; *Incidit in
Scyllam cupiens vitare charybdim.*

2. Divisio causæ in membra quatuor non est immediata
neque in species infimas, nihilominus adæquata est. Immedia-
tè enim causa bipartiri solet in Internam & Externam, quod &
nos in theoremate, *Philosopho lib. 5. Metaph. c. 1. & l. 12. Metaph. c. 4.*
Svareziò disp. 12. de Causis Entis sect. 3. art. 1. præ viis fecimus.

3. Neque licet prolixiores aut laxiores ducere lineas in-
demonstrando hanc divisionem esse adæquatam; Manemus
nos in possessione, donec contrarium solidè demonstretur, ni-
xi interea exemplorum inductione, quorum hæctenus prolatum
est nullum, quod non referri adhæc quatuor genera causarum
potuerit. Plura qui discupit. *vid. Timpler. l. 3. Met. c. 2. probl. 8. p. m.
220. Et Stablij Institut. Metaph. c. 10. p. m. 103. B. Jac. Mart. Exerc. 4.
Metaph. t. 6. 2. p. 149.*

SECTIO II. PORISMATICA.

Canon I.

Nihil est Causa sui Ipsius.

1. **E**xplicatur ac limitatur. Valêt Canon (1.) de nihilo non cate-
gorematico quod idem est ac non ens; sed Syncategoremati-
co, quod idem est ac nulla res, itaque sensus est; *nulla res est cau-
sa sui ipsius.* (2.) de nihilo sumto positivè, quæ nullares sibi positi-

B

VUM

rum esse largitur; non verò negativè: seu valet de *Causa sui ipsius* positiva, non negativa, qualis utriq; Deus est. (3) De Causa sui ipsius simpliciter non verò secundum quid, jã et si absolute & simpliciter nulla res sibi queat esse Causa, potest respectivè & secundum quid nam potest se homo reddere virtuosum, quod est esse respectivum (4.) de *Causa constitutiva, non destructiva*, seipsum n. quis destruere utique aliquomodo potest (5.) de Causa efficiente nõ deficiente. (6.) de esse eodẽ non diversò; Sic Finis in intentione est Causa sui ipsius in executione, seu movet efficientem ut se traducat in esse reale ex esse intentionali. (7.) de esse eodẽ numero; non specie. Sic omninò cum Aristot. ait: ignem generare se ipsum, id intelligendum est de esse eodẽ specie.

2. *Probatur.* Et quidem (1.) *Ex natura cause vere.* O. vera Causa essentialiter differt à causato. Causa sui ipsius non differt essentialiter à causato. E. non est causa. Si hoc, ergo neque sui ipsius causa erit. (2.) *Ex primo omnium Principio.* Impossibile est idem simul esse & non esse, at si daretur quiddã quod sit causa sui ipsius, tũm idem simul esset & non esset; esset, quia realiter influeret; non esset, quia per influxum hunc denuò producendum esset. Imò dicam amplius, esset se ipso prius & posterius, prius, quia causa; posterius, ut causatum. Thom. P. 1. S. T. quest. 2. art. 3.

3. *Vindicatur.* Svarezius citante Arriagã disp. 7. Phys. sect. 8. ait, posse aliquid esse causam sui ipsius, idq; de facto fieri in *εὐχαριστία*, ubi Christus actu existens quoad esse primum, nihilominus producat se quoad esse secundum ex parte quoad corpus, ex vino quoad sanguinem. Idem & Mendoza Disp. 9. Phys. sect. 13. & Fr. B. spei tradunt. Verũm assertum hoc monstrum transubstantiationis redolet, quam recensuisse est refutasse.

Canon II.

Qualis Causa, Talis effectus.

1. *Explicatur & limitatur.* Valet Canon (1.) de qualitate quæ per naturam causa & causato inesse potest, non de eã, quæ ita inesse nequit. (2.) de qualitate secundum quam causa in actu causandi influit, non de alia secundum quam non influit (3.) de causa univoca & particulari, non æquivoca & universali. Sic N. V. Deus est infinitus E. & mundus, quia Deus est causa æquivoca ac universalis.

talis. (4) non de causa essentiâ, sed causandi modò, si nempe bene influat causa, causatum quoque tale erit. (5.) de attributis essentialibus & necessariis: non accidentalibus ac contingentibus. Sic N.V. Pater est Doctor E. & filius. (6.) de predicatis materialibus: non formalibus. Sic N.V. Pater est Causa filii E. & filius est causa filii, quia prædicatum illud est formale Patris, quâ Pater est. (7.) de subiecto capaci: non incapaci. Sic N.V. Spiritus S. actio in renatis est perfecta E. & B. O. sunt perfecte bona. (8.) de esse absoluto, non respectivo.

2. Probatur 1. A causa univoca conditione, quæ semper eandem essentiam, si non numerò, tamen specie, largitur causato, si ergò eandem essentiam habent, paria quoque attributa & prædicata admittent. 2. Ab exemplorù inductione, Sic, quæ prædicata de Patre, quâ homo est dicuntur, eadè & de filio, quâ homo est; Leone, equo, cane, &c. in infinitum. E.

3. Vindicatur. 1. Photiniani ita arg. Qualis causa talis effectus. Atqui Baptismus (causa regenerationis spiritualis) est res materiata corporea. E. & regeneratio ipsa, quia illius effectus est, talis erit. Jam verò conclusio absurda absurditatem alterutrius præmissarum arguit: Major autem vera est. E. Minor, quæ tamen orthodoxorum est; Resp. Dist. I. Inter Causa essentiam: & causandi modum, Baptismus h.l. non est considerandus secundum essentiam, sed causandi modum, qui spiritualis est à creatore, per ordinariam dispositionem eidem inditus. 2. Aqua id præstat virtute non propria, verum aliena, Dei scilicet. 3. Nec per concursum naturalem, sed supernaturalem. *Contra Moscorovium in refut. Smiglec. p. 64. in append. II. Calviniani dicunt fidelium infantes sanctos nasci, eò quod Parentes eorum fideles & sancti sint. Ita Pareus Iren. c. 28. ait. 9. p. 262. Resp. Canon valet de attributis essentialibus & necessariis, & sanctitas Parentum est, accidentale attributum. Deinde valet de qualitate secundum quam Causa in actu causandi influat, verum Parentes in actu generationis non influunt secundum sanctitatem.*

Canon III.

Positâ Causâ ponitur Causatum; & negatâ causâ, negatur: & vice versâ.

B 2

L. E.

1. **E**xplicatur & limitatur. Quoad prius membrum Valet. (1.) *de causa particulari, non universali.* Sic sole posito, non statim ponitur rana, quia Sol est causa universalis. [2.] *de causa proxima non remota.* (3.) *de causa necessaria, non arbitraria,* sic posito igne & stramine eeu causâ necessariâ, fit combustio. [4.] *Valet de causa in actu: non in potentia* (5.) *de causa expedita, non impedita.* (6) *de causa sufficiente, non insufficiente,* sic ad generationē non sufficit mas, requiritur & foemella ut causa sit sufficiens. (7.) de effectu in facto, non in fieri. Sic valet: datur pictura, ergo necessariò est, vel fuit Pictor. Quoad poster. membrum Valet [1.] *de causis non externis: sed internis;* nisi illæ in duratione & continua dependentia considerentur. [2.] *de causis simul sumtis, non seorsim.* [3.] *de effectu producendo, non producto,* h. m. negato futuro, nullus futurus est calceus.

2. **P**robatur I. *ab influxu.* Si enim causa influat, necessariò datur tale quid, in quod influat: si causa non influat, nec dabitur id, in quod influat. 2. *A relatione;* Relatorum enim unò positò, ponitur & alterum. Sed Causa & causatum sunt relata. E.

3. **V**indicatur. I. *Pontificii* denegant parvulis fidem eo quod non audiant verbum DEI, quod causa sit ipsius fidei Rom. 10, 17. Resp. Auditus verbi DEI est quidem causa fidei, sed in infantibus impeditur, quia destituuntur usu rationis, Canon verò loquitur de causa expedita: solet & ita responderi, quod auditus verbi DEI sit causa ordinaria fidei *in adultis, in parvulis baptismus.*

II. *Item iidem* docentes in baptismo radicitus tolli peccatum originis, impingunt in Canonem: Nam negatâ causa negatur effectus. Atqui per baptismum fit, ut negetur causa, nempe peccatum orig. E. & effectus e.g. mors. Rom. 6, 23. morbi, peccata actualia &c. Sed Conclusio est absurda E. vel major vel minor, non illa, quia canon est; E. hæc quæ Papæorum est.

Canon IV.

Omnis Causa prior est Causato.

1. **E**xplicatur & limitatur. Valet (1.) *de prioritate natura, non necessariò etiam temporis.* Sic ignis & calor sunt simul tēpore, ignis verò est prior naturâ. (2.) *de esse cognito: nō necessariò & reali.* Sic Causa finalis est ultimum in causando, & tamen causato prior.

prior est juxta esse cognitum. (3.) *de esse absoluto, non respectivo, sic enim causa & causatum ceu relata sunt simul.*

2. Probatur, 1. *à Cause essentia*, est enim principium; at hoc est prius principiato. (2) *ab effecti dependentia*, jam quod dependet est posterius eo, à quo dependet.

3. *Vindicatur, I. Papistæ* negant fidem esse Causam justificationis, quia hæc non sit prior. Resp: etsi non sit prior tempore ipsa fides, est tamen prior natura. II. *Alii nos absurditatis arguunt*, quod dicamus meritum Christi fide apprehensum, fuisse causam electionis ab æterno factæ, eò quòd hæc longè superior quod est contra canonem Resp. Canon valet *de esse cognito*: Jam verò in mente divina in esse cognito causando, apprehensio meriti Christi prior fuit electione.

SECTIO III. PROBLEMATICA.

PROBLEMA I.

Quid de Causa Exemplari seu Ideali sit habendum?

Exsecis 16.

Dist. *Inter exemplar internum: & externum.* Hoc est, res ipsa ad cuius similitudinem aliquid produci debet: Illud est conceptus formalis seu idea juxta quam aliquid produci debet. Illud in mente, hoc extra mentem est. Deus omnium rerum Ideam in mente sua habuit ab æterno, quæ nihil aliud erat, quam ipsa ejus essentia. Nec dubitamus, quin hæc fuerit mens Platonis, quam partim malè intelligentes, partim sinistrè interpretantes, eò detorserunt, ac si statuisset, fuisse ab æterno aliquid distinctum ab ipso Deo, juxta quod creaverit res omnes.

2. *Inter participationem de essentia divina quamcunq;: & specialiter dictam;* illa non fit juxta realem essentia participationem, sed juxta aliquam similitudinem tantum. Omnes proinde res participant de essentia divina qualitercunq;, nempe juxta id, juxta quod efformatæ sunt ad ideam Dei juxta similitudinem aliquam, non verò specialiter sicut personæ S.S. Triados de essentia divina participant.

3. *Denuò dist. Inter similitudinem qualemcunq;: & speciali-*

ter dictam, juxta illam cuncta Deum representant quasi in imagine aliqua, & de hac creaturæ indifferentes participant omnes. Hæc vero erat speciale donarium, quo homo primus ad imaginem vel similitudinem Dei dicitur creatus.

4. Inter *Idea internæ conceptum formalem*: & *objectivum*. Hæc est ipsa forma effectus animò depicta; Illa est ratio rei faciendæ, seu dictamen intellectus de modo quò res fieri debet. Formalem ergo in Deo ab æterno fuisse ideam, juxta quam res postea in tempore produxit asserere absurdum non est: quia Deus operatus est non fatò aut cœcò impetu sed liberâ voluntate. Objectivam autem à Deo plane removemus.

θεοις.

Idea seu exemplar in mente artificis, est notio aliqua, imago, conceptus, distincta ab artifice ipso essentia, & re cujus est idea in Deo autem ipsissima Dei essentia prout aliquo modo à quopiam participanda.

κατὰ θεοις.

1. Quia hæc idea est accidens, ergo utiq; ab essentia artificis qui substantia est, differet. 2. Nisi idea distincta essentia foret ab artifice, tunc omnis effectus representaret artificem, foret enim effectus univocus quod absurdum. 3. Quia imago illa est quid immateriale, artifex materiale. 4. Quòd autem in Deo sit ipsa ejus essentia patet, quia aliàs duo æterna & sic duo Dii forent, quia dictum est, Deum, omnium rerum ideas habuisse ab æterno in mente. Quicquid verò sit: dicimus quoq; causam idealem non constituere peculiare & distinctum Cause genus.

PROBLEMA II.

An Causa PER ACCIDENS sit vera Causa?

Ex θεοις. I.

Dist. Inter Causam per accidens propriè: & impropriè dictam, queritur de illa, non de hac: 2. Largimur etiam Causam per accidens propriè dictam participare de conceptu Cause ut sic, non quidem univocè; neq; tamen equivocè, sed analogicè. 3. Et quidem per analogiam non nudæ proportionis, sed attributionis intrinsecæ, quæ non negat rei veritatem. 4. Concedimus & hoc nempe influentium causæ per accidens, non esse quidem Directum, sed indire-

ctum

*Etum, interim tamen verum. 5. Inter definitionem Causa ut sic, seu Ge-
neralem: & specialem causa talis, vel talis, ad hanc pertinet particu-
la per se, clarè satis indicatur hoc ipso definiri Causam per se non
per accidens, multo minus causam ut sic. 6. Inter terminum alie-
nantem seu negantem: & limitantem seu modificantem, posterioris
conditionis est particula per accidens.*

Kατὰ τὴν ἑστῆς

Formatio sic statu Controversiæ Affirmamus Ἐπὶ τῆς & probamus:
1. Ex Causa vera definitione. Q. est Principium influens in esse cau-
fati illud est vera causa. Atqui Causa per Accidens est tale
principium E. erit vera Causa. Major est definitio Causæ: Minor
probatur exemplorum iuductione: Sic qui per accidens aliquē
occidit, revera influit in occasionē ipsius. Sic Noah per accidens
inebriatus, revera fuit ebrius. & c. 2. Ex partic. per accidēs conditio-
ne. Si hæc particulas per accidens est alienans seu negans, sequitur
ens per accidens esse non ens: si enim Ἐ per accidens à causa tollit
veritatē, ecqua mihi svada persvadebit, etiā ab Ente particulā hāc
non tollere veritatē, par n. utrobiq; est ratio. nec disparitatis ul-
lius vola vel vestigium apparet. 3. Ex ipsorū met Adversariorū con-
fessione. Nam *Stablius in Institut. Metaph. cap. 12. p. m. 118. interdum*
inquit, causa per accidens (NB) revera influit in id quod cum effectu
ejus per se conjungitur, estq; vera ejus causa. Viden' quomodo con-
victus difertē fateatur id quod antea tanquam pro aris & focis
pugnando oppugnaverat.

Patet inde DEUM nullō modō sive esse, sive posse causam
peccati, ac ne per accidens quidem dici neq; propriā neq; impro-
pria loquendi formula. Quia enim evictum est Causam per acci-
dens esse verē causā; maximā! Deum afficit blasphemiā, is, qui
eum causam peccati constituit; quod si jam Deus causa pecca-
ti non est, quid ergo juvat in præjudicium orthodoxorum The-
ologorum ejusmodi adhibere phrasiologiam scandalosam, &
vel auditu abominabilem. *Vid. Magnif. Dn. D. Calovius in Met.*
Div. c. 15, p. 511.

PROBLEMA III.

An Causa sine qua non sit vera Causa

ex J. S.

Dist. Inter Causam physicam & Moralem: utraq̄ue quidem vera est Causa: quæritur verò de posteriori. 2. Non quæritur de causa sine qua non latè dicta, qualis est apertio valvarum ad illuminationem musæi; sed de eadem strictius dicta quæ qualificat subiectum, & aptat ad recipiendam actionem efficientis, ut remotio puris à sanando vulnere. 3. Inter effectus naturales Politicos medicos &c. & morales, quæritur de his tantum: An in his Causæ sine qua non sit vera causa? 4. Non quæritur de quovis quod effectum in certo ordine antecedit: sed de eo à cuius absentia præsentia vé suspenditur effectus. 5. Inter participationem de conceptu causæ univocam, equivocam & analogicam, quæritur de hac, non de illis.

Handwritten notes in the left margin:
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.

ΘΕΩΡΙΑ.

Causa sine qua non in rebus moraliter bonis vel malis, si effectus produci, nisi cum hac jungatur, nequeat; hæc q̄ non removeat, tantum impedimentum à subiecto, ut recipere actionem agentis queat, sed adhuc agens qualificet, modificet, & aptet, ita ut sufficiens reddatur ad producendum illum effectum, VERA CAUSA est.

ΚΑΤ' ΕΞΕΛΞΙΝ.

1. Quia influit in effectum moraliter E. est vera: illud probo: quia ab essentia Causæ sine qua non pendet effectus. 2. Q. qualificat subiectum, idq̄; ad receptionem agentis actionem adaptat id verè influit. Atqui id præstat Causa sine qua non E. 3. Ab exemplorum inductione, ubicunq̄; in effectibus moralibus Causa sine qua non cū effectu jungitur verus ejus influxus, saltem mediatus, deprehenditur.

Handwritten notes in the left margin:
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.

Quapropter minus rectè B. opera dicuntur necessaria ad salutem ut Causa sine qua non; quia in ejusmodi effectibus moralibus, non est nuda conditio, sed suo modo etiam influit, vera causa est, cum tamen justificationis & consequenter salutis nostræ fides unica causa sit; quod contra Papistas & alios quosdam Theologos probè notandum est.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα!

☩(S)☩

Handwritten notes at the bottom:
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.
ἐν τῷ 15. I.





DIversi diversa còlant: *TUA* Causa triumphat
Verum cùm faveat; sitque probata fide.
Ingenium monstrat Causæ hæc tractatio promptū
Ingenuus Causa est laudis & iste labor.
Gratulor egregiis coeptis! Causam hanc seque-
tur

Causatum, Patriâ digna brabeja feres.

Per-Eximio & Eruditissimo Dn. Respond. gratulab.

ÆGIDIUS Strauch / SS. Th. Lic.

P.P. & Fac. Ph. h. t. Decanus.

Natus ad alta tamen nisi me documenta morantur
RICHTER es, & merito per polis ingenium.
Quin etiam felix, rerum cognoscere causas
Nunc cupis, ac quorsum scandere mente queas?
Publicitùs monstras, sic si perrexeris, olim
Laus, honor, & tandem fama sequetur anus.
fac. grat.

GEORGIUS CASP. KIRCHMAIER.

Eloqv. P.P.

QVem blanda detinet voluptas, & sopor
Inertis animi, & turpis ignorantia,
Is frustra in alta tendit ire culmina,
Qvâ docta manat Pimpla Sophia nectare:
D Fruo

*Eximio & qti
per sal' animum
significat adun.
vobis.*



Frustra appetit nomen, decusque laureum.
Labore multo, & diligentia est opus.
Totos dies sudare oportet, Saepius
Noctes & ipsas his diebus jungere.
Quod sedulo observas eoque gnaviter
RICHTERE tendis: haud erunt vota irrita.
Encernis, ut Tibi serenus porrigat
Manus Apollo, ut Hiantidum grex candidum
Applaudit omen. Perge regi a hac via,
Adoreas feres perennes gloriae.

Faustae acclamationis ergo fac.

PRÆSES.

IGnara causa, res quid aestimet turba?
Has aequiore lance pensitat Iudex.
Suos, honore maclet, Iudices DICE,
Et Phoebus ornat, qui suas agunt causas!

*Boni ominis ergo Eximio ac Præstant. Dn. Respondenti
hoc quaecumque amicitia Symbolum adje-
cit Imq.*

M. Gottlieb Balduinus,
Cycneus.

Quirerum causas novit, doctissimus ille
Et cluit, Et titulum non sine laude refert.

Nam,

Nam, nisi per causas perfecta scientia non est;
Qua si quis careat, non mihi doctus erit.
Et video sentis mecum RICHTERE, probasq;
Judicium factis: nempe labore Tuo.
Demonstras Entis causas, venareq; laurum,
Atq; labor fructu non caret iste suo:
Adderis hoc DOCTIS, & dudum modq; Apollo
Decreavit capiti laurea ferta TUO.
Gratulor his caeptis, & si mea vota juvare
TE possunt, eadem sint TIBI fausta precor.
Cetera perge viam quam calcas currere, virtus
Constituit seruis premia magna Suis.

Hec paucula

Præ Eximio Dn, RICHTERO Amico suo &
Conterraneo longe charissimo
l. m. q. apponebat

CHRISTIANUS Lübringer.

Posoniô Hung. Phil. & SS. Th. Stud.

Ad Præ-Eximium atq; Doctissimum

DN. RICHTERUM, Amicum &
Conterraneum meum dilectum.

CUR Tibi sint, quæris de Judice nomina. Causas
Cum tractes, magna sedulitatis opus.
Munere Causidici quid dextrum, quidve sinistrum
Noscitur; hocce Tuum judiciumq; docet

57a.

Svadendo rectum, Juri damnando quod obstat
Monstrando vero noxia verba Sophi.
Æquus in hoc *Judex!* Cœptis applaudo; Supremus
In laudes Patriæ dirigat hosce Tuæ
Affectu quam venâ meliori

f. g.

*Johannes Fridelius,
Sempron: Hungarus.*

QUæ Causa, talis est quoq; effectus: bona
Si causa sequitur optimus semper retrò
Effectus. Hinc Richtere Causis de quibus
Nunc disputas, sunt optimæ; effectum bonum
Quis deneget iis? Causa faxit omnium
Prima, ut resultet honor & Tibi, & Tuis.

*Faustissimi ominis ergò
Conterraneo suo oppidò deamando
αυτοχεδ.*

*Daniel Guilielmus Möller,
Posoniensis. AA. LL. Stud.*



05 A 1679

ULB Halle
003 779 297


3




Von

Den







Σὺν Θεῷ
Τῷ Α Καὶ Τῷ Ω
Θεωρεῖα

14

ÆTIOLOGIAS

GENERALIS.

QUAM
In Illustri Academia

WITTEBERGENSI
Disputatione Publica,

Adjutore Redemptore
SUB PRÆSIDIO

VIRI
CLARISSIMI ac DOCTISSIMI

DN. M. BALTHASARIS STOLBERGI,

Mittvveydensis
Placide Eruditorum συζητήσεως subjiçis
AUTOR & RESPONDENS

ANDREAS REICHLER /

Boziniensis Hungarus.
Reipublica Patriæ Alumnus
Ad diem 25. Junij, An. M. DC. LXII.
In Auditorio Minori
Horis Promeridianis.

WITTEBERGÆ,

Typis Johannis Haken, MDC LXII.